Es del Collegio de la Compª de Jesus de Salamanca y de su libreria

NOVA COLLECTIO ET COMPILATIO PRIVILEGIORVM APOSTOLICORVM REGVLARIVM MENDICANTIVM, ET NON MENDICANTIVM:

PRÆSERTIM IN QVIBVS IPSÆ RELIGIONES COMMVNICANT.

Edita à F. EMANVELE RODERICO Luſitano, Prouinciæ ſancti Iacobi Patre, & S. Theologiæ Lectore: in duos Tomos diuiſa.

In quibus quæ in aliquibus religionum codicibus diſperſa ſunt, & ſine ordine diffuſa, hîc congeſta ſunt, & quæ ab Vrbano II. vſque ad Clementem VIII. conceſſa ſunt Regularibus, diſpoſita, & ordinata inueniuntur. Cum quibuſdam remiſsionibus ad marginem: ex quibus curioſus lector facilè percipiet quæ horum priuilegiorũ ſint in vſu; quæ verò limitata, & moderata; quæ verò ſint omnino abrogata.

His acceſſit Index priuilegia cuiuſcumque Pontificis oſtendens.

Editio vltima prioribus longè terſior, & diſtinctior.

ANTVERPIÆ,
Apud Petrum & Ioannem Belleros.
M. DC. XVI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

REVERENDISSIMO
PATRI
FRANCISCO à SOSA
GENERALI TOTIVS
ORDINIS MINORVM,
ET
SVPREMI TRIBVNALIS
INQVISITIONIS CONSVLTORI DIGNISSIMO,
SVVS FRATER
EMANVEL RODERICVS
EIVSDEM ORDINIS PROFESSOR,
ATQVE S. IACOBI PROVINCIÆ PATER,
& Lector, fœlicitatem æternam exoptat.

MEMINI, *Reuerendiſſime Pater, me apud Ariſtotelem in meteororum libris legiſſe, omnes ferè quæ tractantur opiniones, à ſuperioribus fuiſſe agitatas. Id quod Sapiens inſinuat Eccleſ. 1.* Nihil nouum eſſe ſub ſole; *& ſic qui nunc ſcribunt, non aliud quàm ex libris (vt aiunt) libros faciunt. Nam vel diſperſa colligere, vel collecta magis explicando diffundere, totum ſcribendi negotium eſt: ſed vtrum eorum ſit magis proficuum, pro cuiuſque ingenio cenſeatur. Vnde cùm mihi per obedientia meritum, à te, Pater Reuerendiſſime, imponeretur, vt omnia religionum priuilegia, & breuia, ſtatum regularem concernentia, per diuerſos Summos Pontifices conceſſa, diſperſa colligerem, nihil nouum fuiſſe arbitrarer, ſi ea ſine ordine, & methodo, & ſine aliquibus additionibus, ex quibus pateret qualia ſint in vſu, qualiáve ſint derogata, in lucem proderem, incipiens ab Vrbano II. vſque ad Clementem VIII. quæ ſinguli Pontifices religionibus conceſſerint, diuiſim in duobus tomis, cum quibuſdam additionibus ad margines appoſitis, ad noſtros tres tomos de quæſtionibus Canonicis & Regularibus me remittendo propono: quas qui legerit, facile perſpicere poterit quæ ſint in vſu, quæve abrogata exiſtant, ſicut ad lectorem ſcribens animaduerto. Quæ cùm ita ſint, reliquum eſt, vt me antiquæ conſuetudini accommodans, hos duos tomos alicuius patrocinio munitos emittam in lucem, quo hæc opera immortalm quan-*

TABVLA BVLLARVM PONTIFICIVM, QVÆ CONTINENTVR IN HIS DVOBVS TOMIS.

VRBANVS PAPA II.

BVLLA, in qua eximitur monaſterium Cauenſe à quacumque iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ſæculari, & immediatè ſubiicitur Sedi Apoſtolicæ, & ipſum monaſterium, & loca, & perſonæ multis indultis adornantur, pag. 1. col. 1.

Alexander Papa III.

Bulla pro Confirmatione Ordinis ſancti Iacobi de la Spatha, pag. 3. col. 2.

Innocentius Papa III.

Approbat viuæ vocis oraculo Ordinem fratrum Minorum, 6. 1.

Honorius Papa III.

Approbat viuæ vocis oraculo Ordinem patris noſtri Franciſci, ibid.

Bulla 2. in qua commendat Ordinem patris Franciſci, ibi. 2.

Bulla 3. Commendat Ordinem patris noſtri S. Franciſci per regnum Franciæ conſtitutis Prælatis, ibi.

Bulla 4. In qua de probatione regulæ patris noſtri Franciſci agitur, ibid.

Bulla 5. In qua concedit magiſtro generali Ordinis Prædicatorum, vt diſpenſare poſſit cum malè promotis in ſæculo, vt in religione poſſint promoueri ad vltiores Ordines, 7. 1.

Bulla 6. Quòd non teneantur fratres Ordinis Prædicatorum accipere commiſſiones, ibid.

Gregorius Papa IX.

Bulla 1. In qua Gregorius IX. B. P. N. Franciſci Catologo Sanctorum adſcribit, ibid.

Bulla 2. Quòd fratres Minores non teneantur accipere commiſſiones, ibi. 2.

Bulla 3. Quòd nullo modo fratres Minores faciant obedientiam manualem Prælatis, ibi. 2.

Bulla 4. In qua ponitur declaratio huius Pontificis ad regulam P. N. S. Franciſci, 8. 1.

Bulla 5. In qua beatus Antonius Catalogo Sanctorum adſcribitur, 9. 2.

Bulla 6. Vt fratres Minores in partibus Paganorum poſſint cum excommunicatis communicare, & abſoluere, & diſpenſare in irregularitatibus, 10. 2.

Bulla 6. Quod fratres Minores poſſint recipere conuerſos ad vnitatem fidei, in terris infidelium baptizare, & clericam inſignire, ibid.

Bulla 8. In qua grauiſſimè redarguitur quidam frater de Ordine Prædicatorum contra ſtigmata B. P. N. S. Franciſci prædicans, ibi.

Bulla 9. Increpans quendam Epiſcopum de ſtigmatibus P. N. S. Franciſci dubitantem, 11. 1.

Bulla 10. Quòd Prælati Eccleſiarum debeant fratribus Prædicatoribus neceſſaria miniſtrare, ibi. 2.

Bulla 11. Concedit, quòd miniſtri prouinciales capitulariter congregati poſſint prædicatores inſtituere, 12. 1.

Bulla 12. Quòd mulieres Diſcalceatæ cum habitu regulari non incedant, ibid.

Bulla 13. In qua ponuntur caſus in quibus licitum eſt fratribus Minoribus ingredi monaſteria monialium S. Claræ, ibid. 2.

Bulla 14. In qua datur facultas Abbatibus S. Benedicti benedicendi ſacerdotalia & monachos, & ordinandi minoribus ordinibus clericos ipſis ſubiectos, ibid.

Innocentius Papa IV.

Bulla 1. Prohibens, quòd nemo poſſit portare habitum fratrum Minorum, nec ei conſimilem, 13. 1.

Bulla 2. Quòd prælati fratrum Minorum poſſint abſoluere ſubditos, & ſuper irregularitate diſpenſare, ibid.

Bulla 3. Quòd fratres Minores non recipiant fratres ordinis Prædicatorum, 161. 2.

Bulla 4. Quòd prælati Minorum poſſint abſoluere venientes ad ordinem, 14. 1.

Bulla 5. Concedit generali Miniſtro, vt poſſit viſitare, & corrigere fratres qui morantur in obſequiis aliorum, ibid.

Bulla 6. Concedit quòd miniſtri prouinciales poſſint inſtituere procuratores & Syndicos, ibi. 2.

Bulla 7. Quòd Apoſtatas noſtri ordinis poſſumus ligare & incarcerare, ibid.

Bulla 8. Quòd fratres eiecti ab ordine, vel Apoſtatæ non poſſunt prædicare neque audire confeſſiones, 15. 1.

BVLLARVM APOSTOLICARVM PRO REGVLARIBVS

TOMVS PRIMVS.

VRBANVS PAPA II.

BVLLA VNICA.

Pro Congregatione S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti.

SVMMARIVM.

1 *Quod monaſterium ſit liberum ab omni, tam Eccleſiaſticæ, quam ſecularis perſonæ iugo.*
2 *Confirmat donationem monaſterio per Principem factam.*
3 *Confirmat indulgentias ibi prius poſitas.*
4 *Quod Abbas dicti monaſterij poſſit per terras dicti monaſterij conſtruere Eccleſias, cum cruce ſignare, aliáque Pontificalia exercere.*
5 *Sacrorum ordinum collatio, Baſilicarum & altarium conſecratio, ac Chriſmatis confectio ipſi Abbati, & ſucceſſoribus ſuis duntaxat Apoſtolica poteſtate competit.*
6 *Quod monaſterium, & Eccleſiæ ſint liberæ ab omni iuriſdictione Archiepiſcopi.*
7 *Quod ordinentur monachi à quocunque Epiſcopo vocato.*
8 *Quod non ſoluant de donatis, vel legatis quartam, vel tertiam partem.*
9 *Quod liceat cuilibet ſepeliri facere in cœmeterio monaſterij & Eccleſiarum.*
10 *Quod liceat Abbati decidere cauſas inter ſuos vaſſallos.*
11 *Confirmat omnes conceſſiones, & donationes locorum, & bonorum eidem monaſterio factas.*

VRBANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Reuerendiſſimo Fratri Petro Cœnobij Cauenſis Abbati, & ſucceſſoribus canonicè promouendis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem in perpetuum. Cùm vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ Presbyteris pro Sedis Apoſtolicæ autoritate, ac beneuolentia debitores exiſtimamus, illis tamen locis ac perſonis, quæ ſpecialius, ac familiarius Romanæ adhærent Eccleſiæ, quæque amplioris religionis gratia eminere noſcuntur propenſiori, nos inducunt charitatis ſtudio immitere. Apoſtolicæ ergo memoriæ prædeceſſoris noſtri Gregorij ſeptimi inſtitutis tenacius adhærentes, Cauen. Cœnobium, cui ſumma religio viget, quod ipſe ſingulariter dilexit, & ſuæ inſtitutionis priuilegio communiuit, 1 Nos quoque a huius noſtri priuilegij pagina communimus, & ab omni, tam ſecularis, quàm Eccleſiaſticæ perſonæ iugo liberum eſſe omnino decernimus. Idem namque Apoſtolicus Pontifex, dum in Romana ſancta Eccleſia Archidiaconatus adhuc officio fungeretur, prædictum locum à Guiſulfo Salernitano tunc Principe, in cuius manu fuerat, poſtulauit, cellas quoque plurimas, quas vſq; ad id temporis ſpatium idem Princeps in manu propria detinuerat, ab ipſo acquirens eidem ſancto loco contulit abſolutè, cum omnibus habitan. & habitaturis, tam in Silenteo monte, eiuſq; pertinentiis, quam in locis Paſciano, Mitiliano, Caſtro ſancti Adiutoris, & pertinentiarum eorundem locorum, cum omnibus angariis, perangariis, penſionibus ſolutis, tam ratione terrarum, quam pro quolibet foculari ipſorum locorum, ſicut nos ipſi in regiſtro ipſius Principis enucleatius vidimus contineri. 2 Quam donationem nos autoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus. Præterea Cluniacum locum illum famoſum dirigens, inde te vt Abbatem præfato monaſterio præponeret accepit, quem deinceps, cum vniuerſis ſubiectis ſiue locis, ſeu perſonis ſingulariter dilexit, fouit, atque tutus eſt. Mox Pontifex factus eorum libertatem decreti ſui pagina confirmauit. Sic præſtante Deo ab omnium viuentium iugo liberum, vſque ad tempora noſtra permanſit. Noſtris autem diebus Alphanus Salernitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus confrater noſter ad eiuſdem loci ſubiectionem modis cœpit omnibus anhelare. Nobis itaque diſponentibus baſilicam ipſius loci dedicare, ille ſuæ Eccleſiæ minui iura clamitabat, cui nos ex abundanti ſatisfactione iuris obtulimus. Ille autem cùm ad poſtulatum, & acceptatum actionis terminum peruenisset, actionem aggredi refutauit. Sic nos præſentibus fratribus noſtris Reuerendiſſimis Epiſcopis Wardo Sabinenſi, Oddoni Albanenſi, Bernardo Præneſtino, Ioanni Tuſculanenſi, Brunone Signino, Rangiero Regitano, Gerardo Troiano, Ioanni Rapulino, & Cardinalibus Eccleſiæ noſtræ Hermano Presbytero, ex titulo quatuor Coronatorum, Gregorio presbytero tituli S. Vitalis, Benedicto Presbytero tituli ſanctæ Suſannæ, Gregorio ex Diaconia ſanctæ Mariæ in via lata, Ioanne ex Diaconia ſanctæ Mariæ in ſchola Græca, Petro ex Diaconia in ſancto Adriano, Iacobo ex Diaconia ſancti Euſtachij, & Tentione ex Diaconia ſancti Gregorij ad Vellum aureum Diaconibus, aſtante dilectiſſimo filio noſtro Duce Rugiero, cum innumera clericorum, & laicorum turba præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, cuius vicem licet immeriti gerimus in terris, ad honorem ſummæ, & indiuiduæ Trinitatis manibus noſtris propriis in eodem loco, qui Mitilianus Caua vulgariter nuncupatur, baſilicam dedicauimus, die Nonarum Septembris indulgentes eidem monaſterio, contemplatione cuiuſdam prærogatiuæ ſpecialis charitatis, quam experti fuimus in eodem Cœnobio, imò potius, perfectam religionis obſeruantiam, dum adhuc eſſemus in minoribus ordinibus conſtituti, vt quicumque in a ſtatu pœnitentiæ Domino opitulante fuerit poſitus, & ad dictum locum accedens fuerit ibi vna die ante ipſius Baſilicæ conſecrationem, & per totum diem ſequentem, necnon die Iouis ſancti, atque per totum diem Veneris ſancti ſequentem, 3 de omnibus peccatis, de quibus verè contritus fuerit, & confeſſus illam indulgentiam, & veniam à Domino conſequatur, quam mereretur in eundo, & redeundo ad ſanctum Iacobum Compoſtellanum, reliquis vero temporibus, & diebus ſingulis cauſa deuotionis illuc accedentes quatuor annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam ſuorum peccatorum obtineant de Sedis Apoſtolicæ gratia ſpeciali. Quo vero ad Capellam tuam ſitam in eodem mona-

a *Vide in 2. tom. qq. reg. q. 63. in quæſtio. de exemp. regular. agitur.*

a *Vide de indulgent. in 2. to. qq. regul. q. 98.*

BVLLARVM APOSTOLICARVM PRO REGVLARIBVS,

TOMVS SECVNDVS.

ADRIANVS PAPA SEXTVS.

BVLLA I.

Pro conuerſione Indorum.

SVMMARIVM.

1 *Zelus Regum Hiſpaniarum pro conuerſione Indorum commendatur.*
2 *Fratribus ſponte ad Indos pro eorum conuerſione euntibus benedictio Papalis impertitur.*
3 *Fratres Minores non poſſunt ire ad Indos niſi à conſilio regali, & à ſuis Prælatis aſſignentur.*
4 *Qui quoquomodo impedierit ire fratres Minores ad Indos, excommunicatur.*
5 *Fratres prædicti aſſignati ex ſeipſis poſſunt eligere ſuperiorem.*
6 *Superior ſic electus debet durare per triennium.*
7 *Superior ſic electus in vtroque foro habet poteſtatem generalis.*
8 *Superior præfatus habet omnimodam poteſtatem ſuper Indos.*
9 *Confirmantur, & innouantur indulta conceſſa præfatis fratribus.*

CHariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum Regi, & Hiſpaniarum Catholico Regi electo. Adrianus Papa VI. Chariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti tuum flagrans deſiderium & augmentum Chriſtianæ religionis, conuerſionemque infidelium, illorum præſertim qui Chriſto Duce tuæ ditioni ſunt ſubiecti in partibus Indiarum à nobiſque inſtanter petiſti, vt ad effectum huiuſmodi augmenti, & conuerſionis, & debitæ gubernationis animarum, quas Redemptor noſter ſui pretioſi ſanguinis commercio redemit, prouideremus, quatenus ex omnibus religionibus fratrum Mendicantium, præſertim fratrum Minorum regularis Obſeruantiæ aliqui ad præfatas partes Indiarum autoritate noſtra tranſmitterentur, aliaque in præmiſſis prouiderentur, ſicut in petitione nobis deſuper oblata plenius continetur. Nos autem qui ex iniuncta nobis cura paſtorali ad ea quæ attineant ad ſalutem animarum, intendere ſuper omnia tenemur, quippe feruentiſſimum zelum tuæ Cæſareæ maieſtatis ad augendam Rempublicam Chriſtianam à teneris annis pleniſſime cognouimus, tam ſanctum & laudabile opus in Domino commendantes, & deſuper prouidere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium volumus, vt omnes fratres ordinum Mendicantium, præſertim ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ à ſuis Prælatis nominati, qui diuino ſpiritu vltrò, ac ſponte voluerint ad partes Indiarum præfatarum cauſa conuertendorum, & inſtruendorum in fide prædictorum Indorum ſe transferre libere & licite poſſint & valeant, dum tamen ſint talis ſufficientiæ in vita, & doctrina, quòd tuæ Cæſareæ maieſtati, aut tuo regali conſilio ſint grati, ac tanto operi idonei, ſuper quo conſcientias ſuorum ſuperiorum, qui eos nominare, & licentiare debent, oneramus. Ac vt in tam ſancto opere meritum obedientiæ non deſit, omnibus qui (vt præfertur) nominati fuerint, & ſe ſponte obtulerint ad meritum obedientiæ, præcipimus vt præfatum iter, & opus exemplo diſcipulorum Chriſti Domini exequantur, pro certo ſperantes vt ſicut in labore eos imitati fuerint, ita, & in præmio eis ſociabuntur, præfatiſque fratribus noſtram Apoſtolicam benedictionem libentiſſime ex nunc impartimur. Sed ne fortè numerus fratrum Minorum ſit tantus, & pariat confuſionem, volumus vt tua ſacra maieſtas, aut tuum regale conſilium aſſignet, & præfigat numerum fratrum mittendorum. Tales autem fratres ſic nominatos, ſeu licentiatos ab eorum ſuperioribus, ſtricte præcipimus ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire, etiamſi pro tunc eſſet in officiis confeſſionis, prædicationis, lectionis, guardianatus, cuſtodianatus, miniſteriatus, prouincialatus, aut commiſſariatus generalis, quibus non obſtantibus tranſire poſſint, & debeant. Verùm ne præfati fratres ſint velut oues errantes abſque paſtore, ſtatuimus, & ordinamus, vt ex ſe ipſis valeant, & debeant eligere duos vel tres, aut plures, qui in dictis terris eis præſint eo modo quo eiſdem, ſeu eorum maiori parti melius viſum fuerit. Qui ſic electi per triennium, aut aliud maius, vel minus tempus iuxta ſuas conſtitutiones, prout in Hiſpania fieri conſueuit, prælationem huiuſmodi habeant, & non vltrà, nec aliàs, maneantque omnes ſemper in obedientia generalis miniſtri, & Capituli generalis, dummodo nihil eis imponant in præiudicium dicti tranſitus & cõuerſionis infidelium. Decernentes quidquid abſque noſtro expreſſo mandato, & aſſenſu ſuper his fuerit attentatum nullius eſſe momenti. Et quia præfata terra Indiarum valde diſtat à partibus vbi generalis miniſter degere, & incedere conſueuit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in caſibus ad eum pertinentibus, volumus ac tenore præſentium concedimus, vt fratres qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorũ fratrum in prædictis terris Indiarum, habeant in vtroque foro ſuper fratres ſibi commiſſos omnem autoritatem, & facultatem quem generalis miniſter habere dignoſcitur: ita tamen quòd ipſe generalis miniſter, ſub cuius obedientia ſemper manere debent, poſſit præfatam autoritatem limitare, & arctare, prout ei viſum fuerit. Et inſuper vt meliùs præfata conuerſio infidelium fieri valeat, ſaluti animarum omnium in præfatis terris Indorum pro tempore degentium prouideatur, volumus & tenore præſentium de plenitudine poteſtatis concedimus, vt præfati Prælati fratrum, & alij quibus ipſi de fratribus ſuis in dictis Indiis commorantibus duxerint committendum in partibus, in quibus nondum fuerint Epiſcopatus erecti, vel ſi fuerint, tamen

De fratribus apud Indos, vide in 1. to. qq. reg. q. 31. art. 3. 4. 5. & 6. qu. 35. art. 1. & per totam quæſt. & q. 56. art. 1. & 12. & quomodo poſſint religioſi compelli ire ad Indos, videatur to. 3. qq. reg. qu. 20. art. 7. & quomodo debeant ibi prædicare, videatur d. to. q. 32. art. 1 *4. & de confeſſione pro nuncio, vide to. 2. qq. reg. qu. 110. per totam quæſt.* 3

Right margin: 8, 4, 5, 6, 7

obſtante voluntate noſtra, & aliis præmiſſis, & de indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac Lateranen. Concilij nouiſſime celebrati vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentes, aliiſque Apoſtolicis, necnon in prouincialibus & ſynodalibus vniuerſalibuſque Conciliis editis ſpiritualibus vel generalibus cõſtitutionib. & ordinationibus, necnon dicti Prioratus Beatæ Mariæ fundatione, illiuſque ac monaſterij, & Collegij maioris monaſterij, & ordinis huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumq; ſuperioribus, Conuentibus & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiã pro eorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habẽda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcunque. Poſtremo ad augendam Chriſti fidelium deuotionem, & animarum ſalutem de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi, Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, monialibus & perſonis ipſius monaſterij per præſentes erecti, necnon vniuerſis & ſingulis aliis Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes & confeſſi, ac ſacra Communione refecti Eccleſiam ſeu Capellam monaſterij per præſentes erecti ea die qua primum moniales illuc introduci ac ibidem ab illis diuinum officium celebrare contigerit, & deinde ſingulis annis in perpetuum in Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ac dicti Monaſterij per præſentes erecti, ſeu illius Eccleſiæ vel Capellæ inuocationis feſtiuitatibus à primis veſperis vſque ad occaſum ſolis eorum dierum deuotè viſitauerint, & ibi pro noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis fœlici ſtatu, ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, necnon ſeruanda inter Principes Chriſtianos pace & concordia, vel alias prout vnicuique ſuggeret deuotio pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem, Apoſtolica autoritate prædicta, tenore præſentium elargimur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo tertio. Idi. Nouemb. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Tranſumptum verum ex decreto S.D.N. Pauli V. pro indulgentia quæ dicitur Sabbatina Fr. Carmelitarum.

Permiſſio S.D.N. Papæ V. de adiutorio beatæ Virginis Mariæ pro animabus Purgatorij fratrum, & confratrum Ordinis Carmelitarum, datū Romæ die vndecima Februarij anno milleſimo ſexcenteſimo tertio decimo.

FRatribus ordinis Carmelitarum permittatur prædicare, &c. quod populus Chriſtianus poſſet piè credere de adiutorio animarum fratrum, & confratrum Sodalitatis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, videlicet: Beatiſſimam Virginem, animas fratrum & confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitū geſtauerint: & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint: officiumque paruum recitauerint; vel ſi recitare neſciant, Eccleſiæ ieiunia obſeruauerint: & feria quarta & Sabbato à carnibus abſtinuerint: niſi vbi in illis diebus natiuitas Domini inciderit. Suis interceſſionibus continuis, piiſque ſuffragiis, ac meritis, ac ſpeciali protectione poſt earum tranſitum: præcipuè in die Sabbati, quæ dies ab Eccleſia eidem beatiſſimæ Virgini Mariæ dedicatus eſt: adiuturam, itaque imagines quæ à deuotis de hac re ſolent fieri, vel depingi cum deſcenſione beatæ Virginis ad animas in purgatorio liberandas minimè fiant: ſed per interceſſionem eiuſdem Virginis à tanto periculo per manus Angelorum in cœlo collocari.

Extant literæ originales in conuentu beatæ Mariæ Virginis de Tranſpontina fratrum Carmelitarum de obſeruantia Romæ.

L A V S D E O.

In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præſentes literas, ſiue hoc publicum tranſumpti inſtrumentum ſubſcribi, & publicari mandauimus, manuque noſtra roborauimus, ſigilliſque noſtri, quo in ſimilibus vtimur, iuſſimus, & fecimus impreſſione communiri. Datũ, & actũ in dicta ciuitate Salmanticenſi, ſub anno à Natiuitate Domini M. DC. V. Indictione tertia, die verò vigeſimo nono Octobris, Pontificatus S. D. N. Pauli diuina prouidentia Papæ V. anno primo, præſentibus ibidem teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiterque rogatis, Ioanne Roderico, *Notario, &* Antonio de Villa Corta.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA